



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

venu. 8. Obstat enim regula Cancellarie Apostolicæ, quæ vetat Iudices judicare secundum nuda signaturas, nisi bullis expeditis, *regula de non iud. iuxta formam &c.* Quod tamquam avaritiâ plenum, & ad commodum Officialium Romanæ Curie inventum etsi quidam calumniantur, summam tamen juris rationem habet. Nam nuda signatura, quæ nihil aliud est, quàm supplicis libelli annotatio, seu admissa supplicatio, per se informis est; & continet tantum futura gratiæ præparamenta, non etiam illius observationem, aut perfectionem; hoc est plenum consensum Papæ, vel Principis: sic quod gratia tunc primum obtineatur, cum literæ expeditæ sunt. Ideoque refert Ludovicus Gomefius, *ad reg. Cancell. de non iud. iuxta form. lit. q. 1. nu. 1.* Baldum nudam signaturam embrioni comparasse; quasi interea quàm literæ exeditæ non sunt, perfectionem nullam habeat gratia; non magis, quàm contractus, quem convenit in scriptis fieri, perfectus dici potest, quamdum in mundum redactus, & omnibus numeris ac partibus absolutus non est; etiamsi consensus partium adfuerit seu interverit, *Bald. in c. 1. Per quos fiat investitura per l. Contrarius C. De fide instrum.* Ideoque regulam illam Cancellariæ Apostolicæ dicit juri communi conformem esse, secundum quam ita aliquoties ex facto consultus respondit Oldradus, *conf. 324. Factum tale, conf. 325. Thema questionis, conf. 326. Quod articuli, & conf. 328. Ad idem.* Cui quoque consonat, quod respondit Marianus Socinus, *conf. 41. Viso indulto nu. 4. vol. 3.* quod quamvis essentia, & substantia gratiæ in supplicatione, seu annotatione ac signatura ad supplicationem consistit; exercitium tamen non permittatur, nisi expeditis literis.

Quæ dubitationem non habent, ubi quæ consentit in reservationem, specialiter per alium contractum non promissit solvere visâ nudâ signatura (ut vulgò fieri solet per instrumentum, quod vocant in forma camera) sed simpliciter consentit in reservationem, seu assignationem & literarum expeditionem conjunctim; uti hic factum esse actor negare non potest, cum in instrumento præstiti consensus, per Ioannem Pratensem, quod post conclusionem in causa Actor exhibuit, sic scriptum invenitur, *Consensit assignationi & literarum expeditioni*; ipsaque supplicatio pro obtinenda hac reservatione (quæ per Actorem profertur) in fine contineat literarum expediendarum mentionem.

Sic quod in concursu, & conjunctione horum duorum sufficere non possit sola signatura, *l. si heredes plures De condit. instir. ne quidem ex voluntate ipsorum contrahentium.* Vnde quod de differtentia Iudicij petitorij & possessorij quidam tradunt, *Gomef. ad reg. cancell. de non iudic. iuxta form. lit. quasi. 5. Cassad. decis. 8. de res. spol. Hieron. Gig. in tract. de intrus. nu. 34.* ut in illo non sufficiat nuda signatura, in isto sufficiat, hic quoque locum habere non potest, ob ipsius contractus & consensus partium extensionem, extensam scilicet ad assignationem, & literarum expeditionem. Neque sane possessorij Iudicij tantus favor esse debet in proposito, propter multas concurrentes

circumstantias, quæ (ultra defectum possessionis, quæ adversus Reum in persona Actoris nulla umquam fuit) notorium defectum juris partis agentis detegunt. Quot enim hæc concurrunt resignationes? quot siquæ ac simulatæ permutationes interpositis beneficiolis, quæ vulgò de Peritica dicuntur, & nullius valoris sunt? ut ex uno beneficio (cujus Actor fructus fatetur non excedere viginti aut viginti quinque libras grossorū) Dominus Ludovicus pensione triginta librarum gravetur, & ex voluntate ejusdem D. Ludovici partim sibi, partim duabus alijs personis sibi gratis provideatur: quæ nimis apertè sunt in rebus Ecclesiasticis nundinationes, & velut mercimonia, ne per sæculares quidem Iudices propter nimium abulum toleranda; multo minùs per arresta & sententias fovenda; cum nec ipse Actor ausus fuerit Pontifici ex primere verum vacationis ex causa permutationis modum, narrato modo vacationis per simplicem resignationem; neque etiam hujusmodi triginta librarum annuarum promissionem, factâ illarum per distinctas supplicationes separatione. Quibus hoc quoque adjiciendum, non satis convenire datam signaturam cum permutatione per Capitulum Rotnacen- se admissâ & subsecutâ collatione Domino Ludovico factâ; data enim signaturæ videtur anterior, ut ex collatione datarum deprehendere licet. Quæ omnia latius & minutius excuteremus, nisi causa in manibus tam oculatorum peritorumquæ Dominorum versaretur. Finem igitur faciendo dicimus, sententiam, à qua provocatum est, injustam esse, eamque ob hoc in provocatorio iudicio retractandam & secundum Reum nunc provocantem per omnia judicandum.

De Præbendis.

SYMMARIUM.

Pensionis solutio.

1. Pensionis dies quando cedat.
2. Pensiones cessa & non exacta cui debeantur mortuo pensionario.
3. Pensio quomodo dividatur inter proprietarium & heredes usufructuarij.
4. Fructus beneficiorum an ad heredes defunctorum clericorum pertineant.
5. Fructus beneficij dignitatem & administrationem habentis futuro successoris reservantur.
6. Casus insolitus non continetur sub generali casuum remissione.

CONSILIUM CCLXX.

AD questionem pro parte Reverendi Domini Abbatis Monasterij S. Petri Gandavenfis propositam super solutione pensionis annuæ per Sedem Apostolicam super fructibus dicti Monasterij reservatæ, nobis infrascriptis hoc modo respondendum videtur.

Et primò quidem ad illam, quæ quæritur, cui & qua ratione facienda sit solutio dictæ pensionis pro anno illo, quo Reverendissimus D. Episcopus Iansenius in nono ejusdem anni mense defunctus est, an illius in eodem Episcopatu Gandavenfi successoris; an verò illius heredibus; & si his, pro qua parte, an pro dimidio tantum anno, nondum

quo alter terminorum dictæ pensionis plenè cesserat; an verò etiam pro termino, cujus dies tunc nondum cesserat, & venerat, aut saltem pro tribus mensibus dumtaxat, qui ex sequente medio anno lapsi erant? Respondemus, nullam esse dubitationem de dicti ultimi anni seu estri, seu prioris termino; quandoquidem illius solvendi dies, non tantum cesserat, sed etiam venerat; ut non tantum debitus fuerit, sed etiam cum effectu pleno exigi potuerit ante mortem Reverendissimi D. Episcopi, l. *Cedere diem De verb. signif.*

De altero semestri iusta est dubitatio: ob id, quod quamvis pro illo deberi, seu dies illius solvendi cedere inceperit; nondum tamen plenè cesserit, & minime venerit: ideoque de illo semestri nihil deberi, nihil peti posse videatur; eò quod in literis Apostolicis reservata, cedentis, & debita hujus pensionis dies, vel mensis debeantur, l. *In singulos, l. filia De annui leg.* Hæc sanè questio respectu Reverendissimi Domini Abbatis difficultatem non habet, quin ille quidem totam hanc pensionem pro toto anno debeat, ut ad illius commodum, aut exonerationem referri non possit, quod ante finem anni aliquot mensibus Reverendissimus Dominus Iansenius decesserit: cum enim hæc pensio non sit temporalis, seu temporaliter ad vitam Domini Iansenij constituta (quo casu quartio & dubitari posset, an pensiones à pensionario non exactæ, ejus hæredi debeantur; an verò cedant lucro Ecclesiæ, aut personæ, quæ illius onere gravata est; & probabiliter sustineri, quod in successorem non transeat, sed maneat apud gravatam Ecclesiam; ut fructus beneficii non percepti apud successorem in beneficio, non apud hæredem beneficiati manent, c. *Præsentis & ibi post. De offic. ordin. lib. 6. alijs tamen aliter sentientibus, l. ier. Giga de pens. q. 52.*) sed sit perpetua, ut habent verba Bullæ Apostolicæ; non debet tam jure pensionis censi, ut vulgò, quàm fructuum; & quidem non tam ad commodum personæ, quàm beneficii, dignitatis aut causæ, cui appropriatur; ideoque ex morte personæ, tum ejus, quæ illam debet, quàm cui debetur, non possit extinguere & definitioni vulgaris pensionis, cui non quadrat perpetuitas, applicari non potest hujus generis perpetua pensio, *Giga de pens. q. 1.* de qua ob id constituendum est in hoc articulo, quod de alijs cujusque beneficii, vel dignitatis fructibus, à quorum præstatione morte beneficiati non liberatur debitor, sed vel successor in beneficio, vel ejus hæredi reservandi, & præstandi sunt, c. *Cum vos De offic. ordin. d. c. Præsentis.* Ita quod respectu Reverendi Domini Abbatis nihil referat, vivat, an mortuus, & quando mortuus sit Reverendissimus D.

Iansenius: quod enim illi seu ejus hæredi non est præstandum, reservari & præstari debet ejus in Episcopatu successori, ex eo tempore, quo ipse mortuus est, ut alij dicti Episcopatus fructus, inter quos est hæc perpetua pensio.

Interim tamen quando questio hæc quoque proposita est, parvis ex resolutione & decisione Ioannis Caccialupi, in *trati. penf. q. 25.* & Hieronymi Gigantis, in *trati. de pens. q. 52. c. conf. 41.* De duobus n. 1. respondemus, neque totum neque nihil deberi hæredibus Domini Iansenij, sed proportionabiliter, pro rata temporis, quo in ultimo semestri superstes fuit. Ut observatur quoad alios cujuscumque beneficii fructus inter defuncti, seu ejus hæredes & successores in beneficio dividendos pro rata temporis, quo defunctus supervixit, arg. l. *Divortio D. Soluta marit. d. c. Præsentis.* Porro, *Alexand. in d. l. Divortio nu. 5.* Et sic in proposito casu ex eo semestri, in quo lapsò tertio mense Reverendissimus Dominus Iansenius mortuus est, debebuntur ejus hæredibus ducenti quinquaginta ducati.

Et hæc quidem præsupposita consuetudine, quæ nunc passim & ubique ferè obtinet, quod fructus beneficiorum transmittantur ad hæredes. Nam in scrupulositate juris, quæ clerici non tam usufructuarij, quàm dispendiosos suorum beneficiorum sunt, difficilius sustineri posset, non perceptos fructus ad hæredem beneficiati pertinere, *Archid. in cap. Statutum §. assessorum De reser. lib. 6. Mart. Navarra in trati. de reser. benefic. ad cap. quicquid 16. q. 1. Hostien. & alij in c. ult. De pecul. cler. & difficillime in beneficijs qualificatis, dignitatibus, aut administrationem habentibus, l. *Iason conf. 75. Non videtur dubitandum vol. 3. Guido papa decisio. Steph. Berran. conf. 21. Viso casu vol. 3. parte 1.* Verum in hoc insistendum non est, ex quo in quacumque partem ea questio decidatur, sive pro hæredibus Episcopi, sive pro successore in Episcopatu, eadem per omnia maneat Reverendi D. Abbatis in hac perpetua pensione obligatio.*

Secunda questio, quæ proponitur est, an Reverendus Dominus Abbas teneatur ad solutionem hujus pensionis pro tempore, seu annis, quibus Sedes Episcopalis vacavit? Ad quam expeditè respondendum videtur, quod cum hæc pensio sit perpetua, non temporalis; realis & non personalis, hoc est non tam personæ Episcopi, quàm Episcopatus, seu mensæ Episcopali appropriata, referri debeat ad cumulum fructuum ipsius Episcopatus, seu mensæ Episcopalis, ut iam diximus. Iam verò certum & indubitatum est, fructus vacantis beneficii maxime qualificati, hoc est dignitatem & administrationem habentis nullius alterius lucro cedere, sed successor in beneficio vel dignitate omnes integros esse servandos, d. c. *Cum vos d. c. Præsentis.* Ut enim accessione fructuum augetur iacens hæreditas ad commodum futuri hæredis, l. *Item veniunt §. fructus De perit. hered.* ita quoque ipsa beneficia vacantia incrementum accipiunt in huiusmodi accessionibus, *Oldradus conf. 294.* Factum tale est, supposito. Ita ut quâ ratione debitor hæreditarius non liberatur ab obligatione hæreditaria, quia hæreditas vacat

tas vacat, & nondum adita est: eadem in proposito ad commodum Reverendi Domini Abbatis referendum non est, quod hic Episcopatus vacaverit: quippe ut hereditas vacans dici potest representare personam futuri hæredis, ita quoque ipsa vacans dignitas successorem in Prælatura, quæ nunquam intermoritur, c. *Quoniam abbas de off. & potest. iudic. deleg. & ibi gloss.*

Nec quicquam ad obligationem Reverendi D. Abbatis minuendam vel restringendam facit, quod in Bulla reservatæ, seu constitutæ huius pensionis declaratur, hanc pensionem constitui, ut Episcopus statum suum, juxta Pontificalem dignitatis exigentiam, commodius sustentet, ejusdem mensuræ pensionem hanc constitutam esse; & quod quamdiu duravit ista vacatio, ut sustinendi status Episcopalis, ita quoque solvendæ huius pensionis nulla fuerit necessitas, vel ut cessante causa, c. *cum cessante de appellat.* & impulsiva causa dumtaxat sunt; quæ cessante non solet dispositio cessare, *Præfati in loco à cessante ratione.*

Quod tertio loco queritur, an Reverendus Dominus Abbas exonerari debeat à solutione huius pensionis pro his turbidis annis, quibus per hæc bella dicti Monasterij redditus saltem pro maxima parte percipi non potuerunt? habet expeditam resolutionem, quod maxime exonerari debeat. Cum enim de & ex fructibus dicti Monasterij hæc pensio sit reservata & solvenda, postulat ratio, ut nullis aut exiguis perceptis fructibus ipsa pensio exigi non possit, l. *Cum certus D. De tri. vino olen 5 leg.* * Et quamvis in ipsa reservatione additum sit de exemptione ab omni onere ex quavis extraordinaria etiam causa; sub illis tamen verbis non censetur contineri tam durus, & insolitus casus, qui tempore constitutæ pensionis, nec provideri, nec cogitari potuit: ideoque sub generali casuum mentione, seu exceptione comprehensus non censetur, l. *Fistula §. frumenta de contrab. empr.* ut in articulo pensionum eleganter & exactè tradit Hieronymus Gigas, de pens. q. 66. ad quem brevitatibus causa remittimus.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

Pensionis Ecclesiasticæ causa an sit privilegiata.

1. Alimentorum causa etiam in feriis tractari potest.
2. Pensio super beneficio quando loco alimentorum habeatur.

CONSILIUM CCLXXI.

QUÆRITUR, an causa pensionis super Ecclesiastico beneficio ex causa cessionis, resignationis, aut permutationis per potestatem habentem reservatæ, privilegiata sit, sic ut alterutra parte invitâ in feriis messium vel vindemiarum in ea procedi possit, c. *alt. in fine de feriis.* * Dubitationem facit, quod pensio alimentorum loco videatur esse, & alimentorum causa cognitionem ac judicalem strepitum admittat atque exigat etiam durantibus feriis quibuscumque, l. 2. *De feriis, Barr. in l. neta Conf. Wamef. Tom I.*

in fine de alimen. & cibis, legat. * Cæterum cum pensio alimentorum locum non obtineat, nisi cum hoc in literis reservationis exprimitur; si videlicet dicatur promitti pensio pro alimentis aut sustentatione personæ, ad numerum piarum & favorabilium causarum referri non debet, Ioan. Caccialupus in tract. de pens. q. 9. nu. 12. Hieron. Gig. de pens. q. 51. nu. 10. Non est ergo privilegium & favor piarum, ac favorabilium causarum extendendum ad eam speciem pensionis, quæ ex huiusmodi causa, aut eâ formâ creata non est, vel in cujus reservatione non est expressum adiectum, quod pro alimentis, seu sustentatione referretur. Quare cum asserta pensio, quam D. Ioannes Durandus, contra Monasterium de Molinis persequitur, sit reservata non ex causa alimentorum, aut pro alimentis, vel dicti Domini Ioannis sustentatione; sed ut est in signatura reservationis, ne ex cessione & dimissione beneficii, super cujus fructibus reservata dicitur, nimium dispendium pateretur, nihil est, quamobrem Dominus Conservator in hac causa, invitâ alterâ parte procedere debeat his feriis magis, quam in alijs causis coram sua Paternitate super varijs damnis & interesse pendentibus; & ita decidit Hieron. Gigas, d. *quæst. 51. nu. 24.* agens de pensione reservata pauperi pro alimentis, ut in ea feriæ locum non habeant. Quæ paupertatis consideratio planè cessat in proposito casu, ubi non de pauperis pensionarij, sed bene divitis beneficiarij causa agitur adversus Monasterium nunc multis bellicis calamitatibus oppressum, & circumseptum. Quæ etiam causa est, cur magis ex legis permissione feriis istis uti cupiant Opponentes; quod bellicis tumultibus distenti causæ huic commodè superesse, cæteraque, quæ ad plenam illius instructionem desiderantur, conficere non possint; contenti alioqui quibusvis feriis renuntiare. Quare istam juris resolutionem Reverendo Domino Conservatori sequendam esse arbitramur.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. Pensionis solutio retardanda non est, nisi per exceptiones omnimodam nullitatem inducentes.
2. Pensio an minuatur minutis fructibus.
3. Reductio pensionis petita solutio eius non suspenditur.
4. Pensio non est quod in dismembratione Ecclesiæ anti-qua reservatur.
5. Pensio excessum quæ probet.
6. Sententia provisionalis in quacumque parte licet ferri potest.
7. Appellans ab interlocutoria causas nominatim & formaliter exprimere debet.

CONSILIUM CCLXXII.

GRAVAMEN, ob quod D. Henricus Castell à decreto Decani S. Petri Lovanientis appellavit, in eo tantum ponitur, quod præfatus Decanus decreverit pensionis petita terminos cessos nantizandos esse, non obstantibus positionibus, & articulis, quos pro enervanda pensione D. Henricus